



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

iiij. De Ecclesiasticis Constitutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

rata videantur, secundum moralem tamen intelligentiam nullam mutationem recepisse confiteri.

*Quid sit consuetudo. & unde duxerit originem. & quantum habeat. h. d.*

*a can. fin. 8. ius uero cōsuetudinis. distin. 6.*

Ius<sup>a</sup> consuetudinis, post naturalem legem sumpsit exordium, ex quo homines in unum conuenientes coeperunt simul habitare: quod ex eo tempore factum creditur, quo Cain ciuitatem edificasse legitur. Est autem consuetudo<sup>b</sup>, Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur: in ijs enim rebus, in quibus nihil certi diuina statuit scriptura<sup>c</sup>, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut prauaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum sunt coercendi.

*b can. consuetudo. 1. dist.*

*c cano. in ijs rebus. 11. distin.*

*Præua consuetudo non ligat. h. d.*

Hæc tamen de ea consuetudine intelligere nos oportet<sup>d</sup>, quæ neque diuino Iuri, neque Canonice contradicit institutis: si quid autem contra fidem<sup>e</sup> Catholicam usurpare dignoscitur, non tam consuetudo, quam ueritas erroris est appellanda<sup>f</sup>.

*d can. consuetudinis. 9. et uero & can. seq. distin. 11.*

*e can. consuetudinem. d. distin. 11.*

*f can. consuetudo. 8. distin.*

*g can. constitutio. 2. distin.*

*h iij. distin. in fin.*

*Quid sit constitutio. & quod duplex: & ciuiles constitutiones. quæ non sunt contra Euangelium & Canones, sunt honorandæ, licet ipsi Ecclesia non ligentur.*

Constitutio<sup>g</sup> est lex scripta. Constitutionum<sup>h</sup> autem aliarum Ciuiles, aliarum Ecclesiasticarum. Ciuiles sunt, quas Princeps, aut Magi-

stratus, aut populi sibi metipsis sanciunt: quæ quidem sunt Euangelicis atque Canonicis decretis non sunt contrariæ, sunt omni reuerentia dignæ, atque eis Ecclesia sæpe contra hæreticos<sup>k</sup>, contra tyrannos, & quoscumque prauos utitur: alioquin nullius sunt momenti, quod usque ad eum obtinet, ut etiam quid in eis statutum fuerit, quod Ecclesiarum respiciat commodum, nullius firmitatis existat, nisi ab Ecclesia fuerit comprobatum. Sed nos ad Ecclesiasticas constitutiones styllum uertamus, earum originem, species, & autoritatem breuiter referentes.

*i gloss. pen. can. cum ad uera. 96. distin.*

*k can. 1. in fin. & can. seq. distin. 10.*

DE ECCLESIASTICIS CONSTITUTIONIBUS, TITVLVS III.

*Canones quibus consent. & quotuplicia sint Concilia, & quæ Concilia uniuersalia.*

Canonum<sup>i</sup> quidem alij sunt statuta Conciliorum, alij decreta Pontificum, aut dicta Sanctorum. Conciliorum uero alia sunt uniuersalia, alia prouincialia, alia uero Episcopalia. Uniuersalia sunt, quæ sancti Patres ex uniuerso orbe<sup>m</sup> in unum conuenientes, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam condiderunt.

*l cano. 2. 8. porro. dist. 3.*

*Initium uniuersalium Conciliorum celebrandorum post Apostolos cepit temporibus Constantini: & ipsorum celebrandorum est apud sedem Apostolicam autoritas.*

*m cano. 1. in prin. uers. sub hoc. distin. 15.*

Quorum<sup>n</sup> celebrandorum initium post sanctissimos Apostolos

*n cano. 1. in prin. distin. 15.*

los à temporibus Constantini Magi cœpit: ipse .n. primus, cum feruente persecutione docendarum plebium commoditas minimè daretur, Christianis, vt liberè congregarentur, facultatè præstitit. Legitima verò Conciliorum vniuersalium aggregandorum potestas, & auctoritas est penes sedem Apostolicam: \* quæ, si Romanus Pontifex interesse impediatur, vnū vel plures speciales ad hoc legatos constituere solet.

Quatuor sunt principalia Concilia: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense.

Inter cætera autem Concilia quatuor sunt, quæ totâ principaliter Christianâ fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia: Nicæna Synodus scilicet, Constantinopolitana, Ephesina, & Calcedonensis: in quibus velut in quadrato lapide sanctę fidei structura confurgit.

Inter discordantia Concilia proponitur sententia eius qui est maioris auctoritatis.

Alia verò Concilia, quæ ductu sancti Spiritus congregata & celebrata fuerint, proximū ab istis sibi locum vendicant. Quod si quādo inter ea discors sententia inueniatur, illius sententia magis est tenenda, cuius antiquior & maior est auctoritas.

Provincialia Concilia quæ sint, & quæ auctoritatem habeant.

Provincialia c Concilia sunt, quę propter Ecclesiasticas cau-

sas & altercationū sedationes per singulas prouincias, conuocante Metropolitano Episcopo omnes prouinciales Episcopos, & cathedralium Ecclesiarum capitula, celebrari placuit. Hęc autem neq; diffiniendi, neque generaliter cōstituendi vim aliquam habent: sed tantum curandi, vt id seruetur quod aliàs statutum est, & quod generaliter, seu specialiter obseruari præceptum est: licet interdum & quæ ab his rectè statuta sunt, etiam Catholica Ecclesia suscipiat.

Quæ sint Episcopalia concilia, & qui in eis ligentur.

Episcopalia cōcilia sunt, quę Episcopus in sua Diœcesi singulis annis c conuocat, dum inter suos Abbates, Presbyteros & Clericos cognoscit. In ijs, si quid ab Episcopo statutum fuerit, nec subditi extra Diœcesim constituti, neq; ignorantibus (nisi sit ignorantia supina) ligantur. Quamobrè pastoralis officij cura postulat: vt, quæ in illis constituta fuerint, Episcopus suis plebibus nota facere nō omit-  
tat.

Decreta pontificum Romanorum æquipolent Decretis conciliorum.

Decreta f quoq; Pontificum Romanorum Canonibus Conciliorum pari potestate exequantur. Nam si id demū hodie probatur, quod sedes Apostolica probauit, & quod illa repulit,

et can. propter. distin. 18.

d d. distinct. 18. in sum.

e can. pen. in palea 18. distin. cap. sicut olim. extra. de accus.

can. 1. per totum. distinct. 19.

reijcitur: multò magis quæ ipsa  
p. Catholica fide, pro sacris do-  
gmatibus diuerso tempore scri-  
psit, debent ab omnibus reue-  
renter recipi.

*Scripta Sanctorum non inserta Iuri commu-  
ni, secundum, post decreta Pontificum Romano-  
rum, locum obtinent.*

*distin. 20.  
per totum.*

Alia<sup>a</sup> sanè est causa eorum,  
quæ sancti viri, vel sacræ pagi-  
næ interpretes scripta relique-  
runt: nam quæ sacris canonib.  
interferta comperiuntur, parem  
cum eis obtinēt firmitatē, cæte-  
ra verò post scita Pōtificum au-  
thoritātē tenent: nā licet diui-  
narum scripturarum interpre-  
tes scientia Pontificibus inter-  
dum præcellant, quia tamen sta-  
tuendi potestate destituuntur,  
in scripturis quidem exponen-  
dis, illis quandoque præponun-  
tur: in causis verò diffiniendis,  
secundum post eos locum ha-  
bere merentur. Aliud est<sup>b</sup> enim  
causis terminum imponere, a-  
liud scripturas diligenter inter-  
pretari, cum in negocijs diffi-  
niendis non solùm necessaria  
sit scientia, verùm etiam pote-  
stas.

*§. sed aliud.  
in sum. d. di-  
stin. 20.*

*Ius Canonicum versatur circa personas, res,  
& iudicia.*

Versatur autem Ius Canoni-  
cum circa tria: circa Personas,  
Res, & Iudicia. Verùm quia po-  
steriora duo ad personas referū-  
tur, videamus prius de perso-  
nis: parùm enim esset illa nosce-  
re, si personæ ignorentur: quarū

causa illa ipsa constituta sunt,  
& per quas ea omnia admini-  
strantur.

DE IVRE PERSO-  
narum,  
TITVLVS IIII.

*Christianorum quidam sunt laici, quidam  
clerici, & clericorum quidam sunt in sacerdo-  
tio constituti, quidam in sacris non in sacerdotio,  
quidam nec in sacerdotio nec in sacris.*

Personarū<sup>c</sup> genera duo sunt: e  
Primum laicorum, alterum  
verò clericorum. Laici, qui  
& populares dici possunt, sunt,  
quibus licet temporalia possi-  
dere, vxorē ducere, causas age-  
re, inter virum & virum iudica-  
re. Clerici sunt, qui diuinis offi-  
cijs mācipati sunt, & quos ab om-  
ni strepitu cessare cōuenit. Vi-  
deamus igitur de ijs, qui diui-  
nis officijs sunt ascripti: nam si  
cognouerimus, quæ istę perso-  
næ sunt, simul etiam & qui laici  
sunt, intelligemus. Horum au-  
tem quidam sunt in sacerdo-  
tio, quidam in sacris, quidam nec  
in sacerdotio nec in sacris. Rur-  
sus, eorū qui in sacerdotio cōsti-  
tuti sunt, quidam sunt in altiore  
gradu vel ordine positi, quidam  
verò in inferiore. Videamus igi-  
tur primùm de his Sacerdotib.  
qui in altiore gradu positi sunt,  
proximè de his qui in inferio-  
re, ac subinde de his qui tantum  
in sacris ordinib. cōstituti sunt,  
visuri & demū de his, qui nec  
in sacerdotio nec in sacris repe-  
riuntur, De

*can. duo sūt  
genera. 12.  
4.1.*